- PALLI

IV. 4. VI. 16

CÆRIMONIALE

SERVANDUM

IN BENEDICENDIS ET INDUENDIS PUELLIS

ANTE NOVITIATUM,

PROFESSIONE FACIENDA, ABBATISSA ELIGENDA,

ALIISQUE SACRIS FUNCTIONIBUS EXEQUENDIS

IN MONASTERIO MONIALIUM

S. FRANCISCI

CAPPUCCINARUM ORDINIS S. CLARÆ.



ANNO DOMINI MDCCCXLVII.

EX TYPOGRAPHIA SANGIACOMO.

RITUS SERVANDUS

IN VESTITIONE PUELLÆ.

BENEDICTIO VESTIUM.

PRælatus infra Missam, vel ante, vel post eam, Puellam ad se duci faciat, qua ante gradus altaris genuflexa, ac prope illam super aliqua mensula positis vestibus cum corda, quas induere debet, benedicendo dicat :

(Si plures sint vestiendæ puellæ, dicantur in plurali omnia quæ eas respiciunt.)

℣. Sit nomen Domini benedictum :

℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

℣. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum :

℟. Omnibus invocantibus eum in veritate.

℣. Voluntatem timentium se faciat :

℟. Et deprecationem eorum exaudiat.

℣. Domine exaudi orationem meam :
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus qui benedixisti conditas creaturas , ut mundum sua fœcunditate replerent : bene ✠ dictionis tuæ gratiam super has vestes humilitatis infunde ; ut præsens famula tua , quæ abjectis vestibus gloriæ mundi , ad tui gloriam et honorem disponit ipsas induere , eis protecta in corpore , assidua meditatione invigilet ; et cogitatiobus mundis , cogitationibus puris , et actionibus sanctis Dominum nostrum Jesum Christum induere valeat. Qui tecum vivit , et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

BENEDICTIO CORDÆ.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui cuncta propter hominem , creaturam ingratissimam condidisti : super hanc cordam bene ✠ dictionem gratiosam impertiri digneris ; ut famulam tuam , quæ tui zelo ad sui humiliationem ea pro cingu-

lo uti disponit, caritas perpetua, quæ est perfectionis vinculum, vinciat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

BENEDICTIO PUELLÆ.

Dicta oratione, vestes et corda aqua benedicta aspergantur, et turificentur.

Postea Prælatus tradat in manibus Puellæ cereum accensum, et illam benedicendo dicat:

℣. Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum:

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

℣. Mihi adhærere Deo bonum est:

℟. Ponere in Deo spem meam.

℣. Elegi abjectam esse in domo Dei mei:

℟. Magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

℣. Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua:

℟. Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

℣. Notam fac mihi viam, in qua ambulem:

℟. Quia ad te levavi animam meam.

℣. Pone Domine custodiam ori meo:

℟. Et ostium circumstantiæ labiis meis.

℣. Non declinet cor meum in verba malitiæ:
℟. Ad excusandas excusationes in peccatis.
℣. Dominus vobiscum:
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, dulcissime Pater, qui corda hominum nosti, et sancta desideria foves, cujusque gratia nostræ mentis fragilitas ex immensa tua pietâte firmatur: preces nostras quamvis indignas clementer exaudi; et huic ancillæ tuæ, ut purius tibi serviat, cum suis pompis sæculum deserenti, ac in istius sanctæ Religionis monasterio, ejus sollicitudinibus et clausura se celare volenti, spiritum fortitudinis donare digneris; ut famula tua suum sanctum desiderium implens, sic agnoscat se viam veritatis invenisse, quod in ipsa ex caritate percurrens, salubriter perseverans, ad te Dominum suum, per sanctos Angelos tuos finaliter perducatur: cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Statim aspergat Puellam aqua benedicta dicendo:

Benedicat tibi Dominus ex Sion, et videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Amen.

Deinde incenset eam, dicens:

℣. Dirigatur oratio ejus sicut incensum in conspectu tuo.

Postea dicat ei :

Audi Filia, et vide, et inclina aurem tuam: obliviscere populum tuum, et domum patris tui: et concupiscet Rex decorem tuum.

ADDUCTIO PUELLÆ AD OSTIUM MONASTERII.

Hoc expleto, præcedente Prælato, sequitur Puella cum ejus vestibus et corda; et ministri cantantes.

Ant. Memento mei Deus, quia ventus est vita mea. Nec aspiciat me visus hominis.

Psal. De profundis clamavi ad te Domine:* Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine, *Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: * et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque noctem * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia : * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel * ex omnibus iniquitatibus ejus. Gloria Patri.

Repetitur antiphona Memento mei etc.

Cum autem pervenerit ad ostium monasterii, Prælatus faciat genuflectere Puellam, et dicat:

℣. Hæc requies mea in sæculum sæculi :

℟. Hic habitabo; quoniam elegi eam.

℣. Domine exaudi orationem meam :

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum :

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus infirmitatis humanæ singulare præsidium, gloriosæ Virginis Mariæ intercessione , et Beatæ virginis tuæ Claræ devotis precibus inclinatus, super hanc famulam tuam, a mundi laqueis, in hujus tuæ sacræ Religionis clausuram sub spe tui auxilii fugientem, gratiam tuæ bene ✠ dictionis infunde ; ut quasi novella plantula, sacrato tibi servientium Collegio inserta , ita semper tuæ dilectionis fervore , et bonorum operum ædificationibus virescat; ut in suæ vitæ termino, pro immarcessibili gloria se meritorum cumulum ex tua dulcedine reperiat aggregasse. Qui vivis etc.

Inde intromittitur Puella in monasterium, et recipitur a Monialibus dicentes:

Veni Sponsa Christi: accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

INCISIO CAPILLORUM PUELLÆ: EJUSQUE VESTITIO.

Clauso ostio monasterii, Prælatus cum ministris revertitur ad cratam, ubi statim incipiat hymnus Veni, Creator Spiritus, et cantetur totus. Interim Puella tondeatur per Prælatum ad cratem. Postea Sorores exuant eam secularibus vestibus, et induant benedictis: quam indutam locent ante altare genibus flexis.

Hymnus.

VEni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternæ dexteræ,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te prævio
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
In sempiterna sæcula. Amen.

Tempore paschali conclusio erit

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In sæculorum sæcula. Amen.

Infra Octavam Ascensionis terminantur

Jesu, tibi sit gloria,
Qui victor in cælum redis,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Inde Prælatus subjungat:

℣. Exaudi nos Deus, salutaris noster:

℟. Spes omnium finium terræ, et in mari longe.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur:

℟. Et renovabis faciem terræ.

℣. Sit gloria Domini in sæculum sæculi:

℟. Lætabitur Dominus in operibus suis.

℣. Domine exaudi orationem meam:

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum:

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum; purifica per infusionem sancti Spiritus cor hujus famulæ tuæ, ut infra hanc Congregationem tuis servitiis mancipata, sic honeste et laudabiliter conversetur, quod in præsenti tuæ gratiæ augmentum obtineat; et post vitæ terminum gaudia æterna possideat.

COncede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis, et corporis sanitate gaudere: et gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione a præsenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia.

DEus, qui Ecclesiam tuam B. Francisci meritis fœtu novæ prolis amplificas: tribue nobis, ex ejus imitatione terrena despicere, et cœlestium donorum semper participatione gaudere.

FAmulos tuos, quæsumus Domine, Beatæ Virginis tuæ Claræ votivam commemorationem recensentes, cœlestium gaudiorum sua facias interventione participes, et tui Unigeniti cohæredes. Qui tecum etc.

Cantetur Hymnus.

TE Deum laudamus: * te Dominum confitemur.
Te æternum Patrem * omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli, * tibi cæli et universæ potestates,
Tibi Cherubim et Seraphim * incessabili voce proclamant.
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt cæli et terra * majestatis gloriæ tuæ.
Te gloriosus * Apostolorum chorus.
Te Prophetarum * laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus * laudat exercitus.
Te per orbem terrarum * sancta confitetur Ecclesia.
Patrem * immensæ majestatis.
Venerandum tuum verum * et unicum Filium.
Sanctum quoque * Paraclitum Spiritum.
Tu Rex * gloriæ Christe.
Tu Patris * sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem, * non horruisti Virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo, * aperuisti credentibus regna cœlorum.
Tu ad dexteram Dei sedes * in gloria Patris.
Judex * crederis esse venturus.
Te ergo, quæsumus, tuis famulis subveni, * quos pretioso sanguine redemisti.
Æterna fac cum Sanctis tuis * in gloria numerari.
Salvum fac populum tuum Domine: * et benedic hæreditati tuæ.
Et rege eos: * et extolle illos usque in æternum.
Per singulos dies * benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in sæculum; * et in sæculum sæculi.
Dignare Domine die isto * sine peccato nos custodire.
Miserere nostri Domine, * miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos: * quemadmodum speravimus in te.

In te Domine speravi : * non confundar in æternum.

Prælatus subjungat :

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

Oremus.

DEus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

DE ELECTIONE MAGISTRÆ NOVITIARUM SEQUENTIA NOTANTUR.

Prælatus cum multa prudentia debet interrogare Abbatissam, et Discretas, quam proponant eligere pro Magistra Novitiarum: quæ debet esse non minor annis triginta, quantumcumque moribus gravis et matura sit; ac etiam Soror, quæ multo tempore in monasterio probatæ vitæ fuerit exemplaris. Istiusmodi electa Magistra Novitiarum, ac per Prælatum confirmata, recipi possunt puellæ in novitiatum, et non alias.

RITUS SERVANDUS

IN PROFESSIONE NOVITIÆ.

PRimo cantatur Missa de Spiritu Sancto : interim velum stet super altare, et Novitia cum candela accensa ante altare. Post Missam Prælatus, sive Sacerdos accedat ad locum deputatum cum paramentis decentibus; et velo nigro posito ante se, dicat:

℣. Sit nomen Domini benedictum :
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini:
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus:
℟. Inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.
℣. Mirifica misericordias tuas :
℟. Qui salvos facis sperantes in te.
℣. Domine exaudi orationem meam :
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum :
℟. Et cum spiritu tuo.

Si plures Novitiæ sint professionem emissuræ, dicantur in plurali omnia, quæ ipsas respiciunt.

Oremus.

DOmine sancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui Moysi famulo tuo dilecto præcepisti, ut in tuo tabernaculo poneret velum mira varietatis contextum, ut tuum sanctuarium celaretur: bene ✠ dictionem tuam super hoc velum infunde, ut filiam tuam ipsum gestantem celes diabolo; et Christo suo sponso, et filio tuo expiatam vitiis, ac virtutibus exornatam cum sacris Virginibus facias cum accensa lampade obviare. Qui tecum vivit, et regnat etc.

Auge fidem in te sperantium Deus, et supplicum preces clementer exaudi: et sicut in figura Ecclesiæ benedixisti Noe egredientem de Arca, et Moysen fugientem de Ægypto cum filiis Israel; ita bene ✠ dicere digneris hoc velum; ut sit ei remedium animæ, et corporis.

Oremus.

PEtimus Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus, ut hoc velum bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris: ut quæcumque istud acceperit, accipiat sibi ad protectionem animæ et corporis; fiatque Domine suæ salutis remedium, tuæque gratiæ sacramentum.

Oremus.

DOmine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ad imitandum humilitatis exemplum, tegumen nostræ mortalitatis assumere voluisti: immensam tuæ largitatis abundantiam humiliter obsecramus, quatenus velum hoc, quod sancti Patres nostri ad honestatis inditium Moniales sanctas ferre sanxerunt, bene ✠ dicere et sancti ✠ ficare tua pietate digneris, ut hæc famula tua N. filia et sponsa tua, quæ ipso velari disposuit, te verum Sponsum totis viribus quærere, et ex tua dulcedine invenire mereatur: Qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam suppliciter exoramus, ac petimus; ut super hoc velum, ab ancilla tua N. cum omni sanctitate ferendum, bene ✠ dictio copiosa descendat: ut sit benedictum, consecratum, sanctum atque immaculatum huic ancillæ tuæ. Amen.

Oremus.

BEne ✠ dic Domine Jesu Christe, et sancti ✠ fica velum hoc benedictione cœlesti; ut ancilla tua N ipso velata, et tibi æterno Sponso spiritua-

li conjugio copulata, tuis adjuta auxiliis sic valeat tibi in hoc mundi ergastulo devote servire, quod possit ad tuas æternas nuptias feliciter pervenire. Qui vivis et regnas etc.

Aspergatur velum aqua benedicta dicendo

Ant. Asperges me Domine etc.

Postea incensetur dicendo

Ant. Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.

SUSCEPTIO VOTI.

Prælatus Novitiam vocet Veni sponsa Christi: et ista genuflectat in loco deputato ante Prælatum et Abbatissam, et cantetur hymnus Veni, Creator Spiritus pag. 9. Quo finito Prælatus cum ministris accedant ad locum deputatum dicendo:

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur:

℟. Et renovabis faciem terræ.

℣. Convertere anima mea in requiem tuam:

℟. Quia Dominus benefecit tibi.

℣. Tu es patientia mea, Domine, spes mea:

℟. A juventute mea.

℣. Ne proijcias me in tempore senectutis:

℟. Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

℣. Perfice gressus meos in semitis tuis :
℟. Ut non moveantur vestigia mea.
℣. Immola Deo sacrificium laudis:
℟. Et redde Altissimo vota tua.
℣. Memor sit Dominus sacrificii tui :
℟. Et holocaustum tuum pingue fiat.
℣. Tribuat tibi secundum cor tuum :
℟. Et omne consilium tuum confirmet.
℣. Benedicta filia tu a Domino :
℟. Quia per te fructum vitæ communicavimus.
℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix :
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
℣. Ora pro nobis beate Francisce :
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
℣. Domine exaudi orationem meam :
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum :
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

PRotector in te sperantium Deus, et subditarum tibi mentium Gubernator, sine quo nihil est validum, nihil sanctum; qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti : multiplica super hanc famulam tuam N. spiritum pie-

tatis; et per intercessionem gloriosæ Virginis Mariæ, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, B. Francisci, B. Claræ virginis, et omnium Sanctorum, da illi in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere: ut te rectore, te duce, sic transeat per bona temporalia, ut non amittat æterna. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO SUPER NOVITIAM.

Amantissime Creator, dulcissime Redemptor, potentissime Protector, et piissime Miserator, illumina et inflamma sancti Spiritus gratia hujus ancillæ tuæ mentem, quæ per solemne votum, terrenis spretis, vult tibi Animarum sanctarum Sponso copulari: tribue sermonem rectum ac benesonantem in ore ejus; ut tua gratia operante, sic promissis servandis intendat, quod mundi, carnis, et diaboli insidiis vitatis, voti sui jugum humiliter cum perseverantia ferat; et in suæ vitæ termino regna beata cum victoriæ corona introëat. Qui vivis et regnas etc.

Hinc Novitia coram Prælato et Abbatissa genuflectat, et positis manibus inter manus Abbatissæ, dicat sola, vel cum adstante Prælato literaliter, aut vulgariter alta voce sequens votum:

EGo soror N. voveo, et promitto Deo, et Beatissimæ Mariæ semper Virgini, B. Francisci, B.Claræ, et omnibus Sanctis, et tibi Patri et Matri, vivere sub regula a domino Urbano Papa Quarto Ordini nostro concessa, toto tempore vitæ meæ, in obedientia, sine proprio, in castitate, et sub perpetua clausura, cum reformatione Apostolica auctoritate facta, ac juxta constitutiones nostri Monasterii.

Tunc Prælatus statim subinferat ei dicens:

Et ego, si hæc observaveris, promitto tibi vitam æternam.

Postea Professa coram Altari genuflexa dicat:

SUscipe me, Domine, ancillam tuam secundum eloquium tuum, et vivam: et non confundas me ab expectatione mea.

Et dicat ter, semper altius elevando vocem: et Moniales respondeant: **Amen.**

Deinde dicat Prælatus:

℣. Elegit eam Deus, et præelegit eam:
℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.
℣. Domine exaudi orationem meam:
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum:
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus misericors, Deus clemens, Deus cui cuncta bona placent, sine quo nihil justum, nihil boni perficitur: nostris humilibus precibus tuæ pietatis aures inclina: et hanc famulam tuam N. cui in tuo sancto nomine sacræ hujus Religionis sanctum velum imponere debemus, a mundi hujus impedimento, et ab omni sæculari affectione defende; et concede ei, ita in hoc sancto proposito devota mente proficere, ut remissione omnium peccatorum suorum percepta, ad Electorum sanctorum tuorum consortium pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

DIlectissimi Dominum nostrum Jesum Christum pro hac famula sua, quæ ad ferendum velum super caput suum pro ejus amore festinat; ut donet ei Spiritum sanctum, qui ab omni mundi impedimento, et sæculari desiderio cor ejus defendat; ut sicut mutatur in vultu, ita manus ejus dextera ei virtutum incrementa tribuat, et ab omni cæcitate humana oculos ejus avertat, et lumen æternæ gratiæ ei concedat: ut dum renunciat sæculo, mansiones ei præparentur in cœlo. Amen.

Oremus.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus huic famulæ tuæ N. cujus hodie capiti imponimus velum sacrum, ut in tua dilectione perpetua maneat: eamque sine macula custodias in æternum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

ADesto Domine supplicationibus nostris; et hanc famulam tuam N. bene ✠ dicere et sancti ✠ ficare digneris, cui in tuo sancto nomine velum sanctum sacræ Religionis imponimus: ut te largiente in tua benignitate persistat, et vitam æternam percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

SUSCEPTIO SCAPULARIS.

His dictis, Professa aspergatur aqua benedicta: illi postea ponatur Scapularis, inde Prælatus dicat:

Discedat a te pabulum mortis; quia jam ab alio amore præventa es: dexteram tuam, et collum tuum Dominus ipse cinxit lapidibus pretiosis: tradidit auribus tuis inæstimabiles margaritas; et circumdedit te vernantibus atque coruscantibus gemmis.

SUSCEPTIO VELI.

Deinde Prælatus, et Abbatissa accipiant velum benedictum, et ponant eum ante faciem Professæ, et Prælatus dicat:

Accipe Soror velamen sacrum, quod perferas sine macula ante tribunal æterni Judicis, cui flectitur omne genu cœlestium, terrestrium, et infernorum. Velamine isto mundum contempsisse cognoscaris, et te Christo Jesu veraciter humiliterque toto cordis nixu sponsam perpetuo subdidisse: qui te ab omni adversitate defendat, et ad vitam perducat æternam.

Tunc Professa dicat:

Posuit signum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.

Et Prælatus subjungat:

INduat Dominus mentem tuam amore Spiritus sancti: cujus splendore mirifico illustrata, igne ardentissimo inflammata, et dulcedine suavissima satiata, in ejus sancto servitio usque in finem perseverare valeas. Amen.

SUSCEPTIO MANTELLI.

Postea Prælatus cum Abbatissa accipiant Mantellum, et ponant Professæ, et Prælatus dicat:

ACcipe, Sponsa Christi, habitum tuæ sacræ Religionis, æternæque tuæ desponsationis: sub quo in omnimoda puritate tam mentis, quam corporis, et in perfecta sanctitate perseverare possis: et intercedente Beata Virgine Dei Genitrice Maria, omnes insidias mundi, carnis, et diaboli semper et perfecte valeas superare, ipso adjuvante Christo Jesu Domino nostro. Qui cum Patre, et Spiritu S. vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SUSCEPTIO ANNULI.

Deinde Prælatus accipiat annulum, et porrigat illum Abbatissæ; et ista imponat illum digito annulari dexteræ manus Professæ; et Prælatus dicat:

DEsponso te Jesu Christo Filio summi Patris, qui te illæsam custodiat. Accipe ergo annulum fidei, signaculum Spiritus sancti; ut sponsa Dei voceris, si ei fideliter et munde servieris. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Inde Professa dicat:

IPsi sum desponsata, cui Angeli serviun, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur.

Et Prælatus subjungat:

IPsi soli serves fidem: ipsi te tota devotione committo.

Tunc Professa surgat, et ante altare genuflexa elevando in altum manum annulatam dicat:

ANnulo suo subarrhavit me Dominus Jesus Christus; et tanquam sponsam decoravit me corona.

SUSCEPTIO CORONÆ.

Prælatus accipiens coronam, et eam in altum elevans, vocet Professam dicendo:

VEni Sponsa Christi; accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

Et Moniales sequantur. Prælatus coronam imponat capiti Professæ dicens:

ACcipe signum Christi in capite tuo; ut ejus Sponsa efficiaris. Si in eo permanseris, immortalitatis gloria coronaberis. Amen.

Tunc Professa coronata dicat:

INduit me Dominus ciclade auro texta; et immensis monilibus ornavit me.

Inde a choro, vel a Monialibus cantetur:

REgnum mundi, et omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi: quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi. Gloria Patri etc.

Postea Prælatus dicat

Kyrie eleison. Christe eleyson. Kyrie eleison.

Pater noster dicitur secreto. ℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur:

℟. Et renovabis faciem terræ.

℣. Salvam fac Ancillam tuam, Domine:

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Esto ei Domine turris fortitudinis,

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in ea:

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

℣. Ora pro nobis Beate Francisce:

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Ora pro nobis Beata Clara:

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Domine exaudi orationem meam:

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum:

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Concede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate

gaudere: et gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, a præsenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia.

DEus qui Ecclesiam tuam Beati Francisci meritis fœtu novæ prolis amplificas: tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, et cœlestium donorum semper participatione gaudere.

FAmulos tuos, quæsumus Domine, Beatæ Virginis tuæ Claræ votivam commemorationem recensentes, cœlestium gaudiorum sua facias interventione participes, et tui Unigeniti cohæredes.

OMnipotens sempiterne Deus, qui hujus mundi debilia, ut fortia confundas, eligere dignatus es: te supplices exoramus, ut hanc famulam tuam, sacro velamine consecratam, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficares olita pietate digneris: quatenus in sexu fragili, ita pure atque devote in hac tua sancta Religione, tibi corde et opere deserviat; ut Christi filii tui adjuta auxiliis, et munita præsidiis, mundo, carne, et dæmonibus superatis, ad ipsius veri Agni et Sponsi sui dilecti Christi nuptias valeat cum victoria feliciter pervenire. Qui tecum vivit et regnat etc.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui omnia ex nihilo creasti: te humiliter deprecamur, ut hanc famulam tuam bene ✠ dicere,

et sancti✠ficare digneris. Suscipe preces nostras de sede Majestatis tuæ, ut propitius sis omnibus clamantibus ad te, quos redemisti pretioso sanguine Jesu Christi filii tui. Qui tecum vivit et regnat etc.

DOmine Jesu Christe, Pastor bone, et innocentiæ restitutor, castitatis conservator, et humilitatis amator, respice super hanc famulam tuam N. tuo sancto servitio dedicatam; et ejus mentem illumina Spiritus sancti gratia: quatenus te Dominum verum, Redemptorem ac Salvatorem suum valeat cognoscere, et amare, ac laudabiliter tibi perpetuo deservire; ut cum dies extrema, finisque vitæ suæ advenerit, cum gloriosa Virgine tua genitrice Maria, ac sanctis et dilectis tuis Apostolis Petro et Paulo, et beatis Confessoribus tuis Francisco, Antonio, Ludovico, et beata virgine tua Clara, regni cœlorum valeat gaudia possidere. Qui cum Deo Patre, et eodem Spiritu sancto vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

BENEDICTIO PROFESSÆ.

His finitis, Prælatus benedicat Professam dicendo:

BEnedicat ✠ te Dominus Pater, benedicat ✠ te Dominus Filius, et benedicat ✠ te Domi-

nus Spiritus Sanctus omni cœlesti benedictione: ut ita maneas sine macula sub velo et habitu gloriosæ Virginis Matris Domini nostri Jesu Christi, et famulæ suæ Virginis Claræ; ut gratiam merearis in hoc sæculo, et gloriam in futuro. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

PRÆLATUS TRADIT PROFESSAM ABBATISSÆ.

Oratione finita, Prælatus assignans Professam Abbatissæ, dicat:

HAnc Sponsam tibi trado: ut usque in diem judicii conserves eam sine macula in conspectu Regis altissimi; et de illa rationem reddas ejus Sponso Christo. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit, et regnat.

Deinde Professa dicat: **Ancilla Christi sum: ideo ostendo me personam servilem.**

Prælatus incipiat cantando hymnum.

Té Deum laudamus etc. pag. 12.

Quo finito, Prælatus dicat:

℣. **Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis:**

℟. **A templo sancto tuo, quod est in Hierusalem.**

℣. Domine exaudi orationem meam :
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum :
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens æterne Deus, qui facis mirabilia magna solus: prætende super Congregationem istam, mihi commissam, spiritum gratiæ Salvatoris nostri;ut ipsa interveniente tibi placeat: et rorem tuæ misericordiæ, et benedictionis super eam infunde.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

URe igne sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum : ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.Per Christum Dominum nostrum. Amen.

In fine Prælatus signo crucis benedicat omnes circumstantes dicendo : Benedicat, et custodiat vos omnipotens et misericors Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

MODUS
ELIGENDI ET BENEDICENDI
NOVAM ABBATISSAM.

IN Abbatissa eligenda inter cætera præ oculis sequens habeatur Sacrosancti Tridentini Concilii decretum sess. 25. de Regularibus et Monialibus cap. 7.

ABbatissa, et Priorissa, et quocumque alio nomine Præfecta vel Præposita appellatur, eligatur non minus annis quadraginta, et quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio ejusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur; ex iis quæ in eodem monasterio annum trigesimum excesserint, et quinque saltem annis post professionem recte vixerint, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eligatur..... Is vero qui electioni præest, Episcopus, sive alius Superior, claustra monasterii non ingrediatur; sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat, vel accipiat. In reliquis serventur singulorum Ordinum vel monasteriorum constitutiones.

Hinc die statuto pulsata campanella more solito, et Monialibus congregatis, Prælatus, vel alius ejus nomine, qui electioni præesse debet, ante fenestellam cancellorum cum suo Notario sistit, et Sancti Spiritus gratiam invocat, recitando hymnum **Veni, Creator Spiritus**, cum adnexa oratione, pag. 9. Inde brevi sermone Moniales exhortatur ad rectam electionem peragendam juxta allatum Tridentini præscriptum, et proprias illius monasterii regulas. Postea singularum Monialium vota audit et accipit sequenti vel simili forma, videlicet: quæque Monialis sola et secreto coram Prælato dicat: **Ego Soror** N. **eligo et nomino Sororem** N. **in Abbatissam hujus Monasterii.** Et ita sequuntur singulæ Moniales, quæ suffragium dare debent, per ordinem incipiendo ab antiquioribus, una post aliam, semper sola et secreto. Interim Notarius singularum suffragium notat: et in fine suffragiorum facto computo Prælatus publicat electam a majori parte Monialium, dicens: **Soror** N. **remanet Abbatissa.**

Postea Prælatus novam Abbatissam confirmat et benedicit, eique assignat Regulam, Annulum, Sigillum, Claves, Velum, et Cordam, sequenti modo.

Si benedicenda sunt velum, et corda, eorum benedictiones habentur in pag. 4. et 16.

Facto a Prælato brevi sermone de materia prælationis, et adnexis obligationibus, electa Abbatissa sedet in cathedra præparata. Inde Prælatus tradit Regulam in manu ejus, dicens:

ACcipe Regulam a Domino Urbano Quarto traditam ad regendum, et custodiendum gregem a Deo tibi comendatum, quantum Dominus ipse confirmabit, et humana fragilitas permittet. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde tradit annulum dicens:

ACcipe annulum, justitiæ signum, quo Deo præcipiente non ad desteram, neque ad sinistram timore, odio, vel munere declines: sed omnibus juxta virtutum merita uniformiter te conferre debeas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Postea tradit sigillum dicendo:

ACcipe sigillum, tui officii ac præelectionis signum, cum quo litteras sanctitatis et pacis claudere valeas, contrarias minime admittendo: ita quod semper cor et brachium tuum Christi passione, tanquam sigillo spiritus sit signatum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Inde tradit claves clausurarum dicens:

Accipe claves spectantes ad clausuram hujus Monasterii tuæ curæ commissi; cum quibus aperire et claudere possis, quod tibi videbitur, secundum regulam vestram, cum necessitas id requirat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Hinc tradit velum prælationis dicens:

Accipe velum tuæ prælationis a Deo benedictum: quod perferas sine macula ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, cui flectitur omne genu cœlestium, terrestrium, et infernorum: Qui cum Patre, et Spiritus Sancto vivit, et regnat etc.

Postea Prælatus confirmat eam dicendo:

Ego N. auctoritate officii mei denuntio, et confirmo te in Abbatissam et Matrem Sororum hujus venerabilis Monasterii Sancti Francisci Capuccinarum Ordinis Sanctæ Claræ: et te denuntiatam ac confirmatam declaro canonice electam atque venerandam; et benedico in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Postea cantatur hymnus **Te Deum laudamus** pag. 12. et pulsantur campanæ monasterii. Interea omnes Sorores una post aliam genuflectunt coram Abbatissa in scabello sedente, ponunt manus in manibus Abbatissæ dicendo: **Tibi Abbatissæ et Matri meæ obedientiam et reverentiam debitam ac**

devotam promitto, et exhibeo: et Abbatissa respondet: Ego sicut mater te filiam recipio.

In fine Prælatus dicit:

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis:

℟. A templo sancto tuo, quod est in Hierusalem.

℣. Salvam fac ancillam tuam, Domine:

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Esto ei Domine turris fortitudinis

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in ea:

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi orationem meam:

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum:

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

COncede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere; et gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, a præsenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia.

DEus qui Ecclesiam tuam beati Francisci meritis fœtu novæ prolis amplificas: tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, et cœlestium donorum semper participatione gaudere.

FAmulos tuos, quæsumus Domine, beatæ virginis tuæ Claræ votivam commemorationem recensentes, cœlestium gaudiorum sua facias interventione participes; et tui Unigeniti cohæredes.

OMnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus; prætende super hanc famulam tuam N. Abbatissam, et super Congregationem sibi commissam spiritum gratiæ salutaris; et ut tibi veritate complaceat, perpetuum super eam benedictionis tuæ rorem infunde. Per Christum etc.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, qui sororem Moysi Mariam præeuntem cum cæteris mulieribus in æquoreas aquas cum tympanis et choris lætam ad litus maris venire fecisti: te supplices deprecamur pro hac famula tua N. quæ hodie universis sibi subditis Abbatissa et Mater constituitur: ut cunctas ipsa famulas tuas sibi commissas ita canonica et monastica norma tueatur; quatenus ad æternam gloriam te auxiliante læta cum omnibus introeat, ibique exultantes canticis novis se-

quantur divinum Agnum quocumque ierit. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

CUnctorum bonorum visitator Dominus, qui per Moysem famulum tuum ad gubernandas Ecclesias Præpositos tribuisti: supplices tibi preces effundimus, teque devotis mentibus exoramus, ut hanc famulam tuam, quam per communem hujus Monasterii electionem famularum tuarum Abbatissam esse constituisti, clementer respicere, et protectionis tuæ gratia munire digneris. Tua summa pietate ei concede, sic oves tuas sibi commendatas regere; ut cum illis omnibus cœlorum regna adipisci mereatur; et te opitulante, centesimo cum fructu læta portas introeat Paradisi, atque audire mereatur: Euge, ancilla bona et fidelis; quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

In fine Prælatus Abbatissam, omnesque alias signo crucis benedicit dicendo: Benedicat, et custodiat vos omnipotens et misericors Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

DIE IV. OCTOBRIS.

IN FESTO SERAPHICI S. P. N. FRANCISCI CONFESSORIS.

Duplex primæ classis.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiphona. **Franciscus Vir Catholicus.**

Psal. **Dixit Dominus etc.** ut in Breviario.

Capitulum. Galat. 6.

FRatres, mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

℟. **Deo gratias.**

Hymnus.

Proles de Cœlo prodiit.

Ad Magnificat Ant. **O stupor, et gaudium.**

Oratio.

DEus, qui Ecclesiam tuam beati Francisci meritis, fœtu novæ prolis amplificas: tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, et cœlestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum etc.

IN SECUNDIS VESPERIS.

Antiphona.

Sanctus Franciscus præviis orationibus.

Psal. **Dixit Dominus.**

Capitulum.

Fratres, mihi autem absit etc. ut in primis vesperis.

Hymnus.

Decus morum, Dux Minorum.

Ad Magnificat Antiphona.

O Virum mirabilem in signis, et prodigiis.

Oratio ut in primis vesperis.

Antiphona finalis. **Salve Regina etc.**

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis et Matris Mariæ corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparasti: da ut cujus commemoratione lætamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis, et a morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

℟. **Amen.**

℣. **Divinum auxilium maneat semper nobiscum.** ℟. **Amen.**

DIE VIII. DECEMBRIS.

IN FESTO
IMMACULATÆ CONCEPTIONIS
B. M. VIRGINIS.

Duplex primæ classis.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiphona. Sicut lilium inter spinas.

Psal. Dixit Dominus etc, ut in Breviario.

Capitulum. Proverb. 8. Eccli. 24.

EGo diligentes me diligo : et qui mane vigilant ad me, invenient me. In viis justitiæ ambulo, ut ditem diligentes me. Qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. ℟. Deo gratias.

Hymnus. Ave maris Stella.

Ad Magnificat Antiphona.

Quam pulchri sunt gressus tui.

Oratio.

DEus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti : quæsumus, ut qui ex morte ejusdem Filii tui prævisa, eam ab omni labe præservasti; nos quo-

que mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eundem Dominum etc.

IN SECUNDIS VESPERIS.

Antiphona. Nihil est candoris.

Psal. Dixit Dominus etc.

Capitulum, et Hymnus ut in primis vesperis.

Ad Magnificat Antiphona.

Unica est Columba mea.

Oratio ut in primis vesperis.

Pro commemoratione Adventus.

Pro Dominica prima Adventus.

Oratio.

EXcita, quæsumus Domine, potentiam tuam, et veni: ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, te mereamur protegente eripi, te liberante salvari. Qui vivis, et regnas etc.

Pro secunda Dominica Adventus.

Oratio.

EXcita, Domine, corda nostra ad præparandas Unigeniti tui vias: ut per ejus adventum, purificatis tibi mentibus servire mereamur. Qui tecum vivit etc.

Antiphona finalis.

Alma Redemptoris Mater etc.

Oratio.

Gratiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde: ut qui Angelo nunciante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

INDEX.